

DIALOGUS VI.

De vario prudentiorum Ethnicorum
Sensu circa Deos suos.

TULLIUS.

I. **D**II Paganorum aut fuerunt magnæ rerum naturæ, & prima atque grandia Mundi Corpora, cœlum, Terra, Mare, Sol & Luna, Stellæ, Ignis, Aether, & si quæ alia, quibus omnia reliqua fiunt & aluntur; aut homines, virtutibus & facinoribus excellentes, quos, ut in Deorum numero locum suum tanto dignius tuerentur, Poetæ nugatores cum rerum naturis miscuerunt, ex Jove cœlum, ex Apolline Solem, ac cætera fabricantes. Ineptum hoc & indignum esse arbitrati Philosophi, homines Deos non a natura eorum propria, misera & infirma, quam e diametro naturæ Divinæ adversam ratione cognoverant, sed vel a virtutum, quibus claruerant, excellentia, vel a magnarum naturarum, quibus commixti erant, viribus & commodis, totum in orbem profluentibus, ut veris operibus, donisque divinis commendarent; ac proinde, sub nominibus quidem humanis, in plebem jam pervagatis, neutiquam tamen homines, sed ipsas rerum naturas, aut virtutes animi celebraverunt. Triplex igitur inter Ethnicos Theologia, sive Doctrina de Deo, tradebatur, *Mythica*, seu fabulosa Poetarum, *Physica* naturarum, quæ Divinæ habebantur; *Moralis* virtutum, quæ homines Deo plenos reddidisse, creditæ fuerunt.

II. Tu porro, Publi optime, dum præfente in argumento versamur, rudes inter, doctosque, qui profundissima illa, & supersticiosissima sub nocte deprehendebantur, provide discerne. Mythologia Poetarum erat partus, quorum disciplina est finge-

re. Hi petulantia ingenii sui Historiam omnem fabulis complebant, eamque omnem sus deque commiscuerunt. Narratio eorum, cum planior esset ac brevior, & metri elegantia, itemque acuminibus mire commendata, insuper vero a comicis persæpe publicam in scenam deducta, pervagata est in plebem, eamque sic rapuit, ut novitate prodigiorum ac operationum divinarum, quas mentiebantur Auctores, dementata, quorumlibet flagitiorum a Diis perpetratorum, turpitudini ac impietati quasi nihil intenderet. Esto audiret, ac in theatris prope videret, in statuis vero, pictisque imaginibus intra templa quotidianis oculis usurparet, quomodo Jupiter Danaen Lædam, Europam corruperit, quod sanè criminis erat; quia tamen, ut eas deciperet, fingebatur, se in imbrem aureum, in cygnum, in taurum transmutasse, mentita hæc virtus divinitatis, admiratione sui, detestationem omnem, quam honestæ mentis verecundia ingesserat, absorpsit.

Vehementer hæc prudentioribus displicuerunt; cujus tibi rei non nisi tres testes adduco, ne patientia tua nimium abutar. Primus *Cicero* alicubi scribebat: „Nec *Homerum* audio, qui Ganymedem a diis raptum ait propter formam, ut pocula ministraret. - - - Fingebat hæc *Homerus*, & humana ad Deos transferebat: divina mallet ad nos „Alter *Seneca*, furorem Poetarum detestatus, ita percontabatur: „Quid magis est vitia incendere, quam auctores illis inscribere Deos, & dare morbo, exemplo divinitatis, excusatam licentiam? „Tertius *Plinius* multipliciter Deorum, & impudentem fictionem ita subsannat.

„Major Cœlitum populus etiam, quam hominum, intelligi potest, cum singuli quoque ex semetipsis totidem Deos faciant, Junones, Geniosque adoptando sibi. - - - Matrimonia quidem inter Deos credi, tantoque ævo ex his neminem nasci: & alios esse grandævos semperque canos, alios juvenes atque pueros, atrii coloris, aligeros, claudos, ovo editos, & alternis diebus viventes morientesque, puerilium prope deliramentorum est. - - - Vix propius est judicare, utrum magis conducatur generi humano: quando aliis nullus est Deorum respectus, aliis pudendus? „

III.

Tusculanar. Disp. L. I. c. 26.

De Brevitate vitæ cap. 16.

Histor. Nat. L. II. c. 5.

IV.

V. Philosophi cæteri Poetarum de diis commenta, quæ vulgus ut res vere gestas acceperat, in allegorias vertebant. Vel enim physice illas exponendo, ad naturales Cœli, Terræ, Solis, Lunæ, Stellarum actiones traducebant. Vel in morum documenta convertendo, de virtutibus Regum, Principum, Heroum, immo ipsorum Deorum, aut Magistratum, Rerumpublicarum, Societatum, vel privatorum interpretabantur. Egregie hoc, tantaque cum eruditione, quanta cum prolixitate demonstravit *Georgius d'Arnaud* in Commentario suo de Diis ΠΑΡΕΔΡΟΙΣ, sive *Adessoribus*, & *Coniunctis* cap. I. item XVII. seqq. quem Tom. II. supplementor. ad *Grævii* & *Gronovii* Thesaurum Antiquitatum Græcarum & Romanarum a Col. 733. reperies.

De Civitat. Dei. L. VII. c. 18. Præterquam vero, quod abstrusior ac difficilior eorum doctrina, supra plebis ingenium esset: insuper ut avertit *S. Augustinus*, qui cuncta excusserat, „ dum conabantur vanissimas fabulas, „ sive hominum res gestas, velut naturalibus interpretationibus „ honorare, etiam homines acutissimi tantas patiebantur angustias, „ ut eorum quoque vanitatem dolere cogamur. „ Nempe verissime dixit *Apostolus* de hoc misero hominum genere: „ Qui cum „ cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt. - - - „ Dicentes enim, se esse sapientes, stulti facti sunt. - - - „ Qui commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & servierunt creaturæ potius, quam Creatori.

Romanor. I. 21. seq.

VII.

PUBL. Valent hæc oppido ad fidem nostram corroborandam, & error ipse tam decumanus veritati testem se præbet. Interest solummodo, ut, quando idola foris ficta execramur, paria intus in animo non statuamus. Quantum enim a cultore Martis distat iracundus, a cultore Mercurii vir duplex animi, a cultore Plutonis avarus, a cultore Bachi temulentus, a cultore Dæ Cypridis impurus? *TULL.* Placet religiosa hæc tua meditatio, plane salutaris. Ast in argumento nunc sacro non sumus; revertamur in viam.

VIII.

Ipse pariter Deos colendi modus sæpe omnino fanaticus erat. Neque enim suffecerat, eosdem precibus, hostiis, votis, aris, templis venerari. Induebantur etiam purpura, onerabantur monilibus, invitabantur ad epulas, easque opipare, lauteque instructas. Ad quas, ut non incommode adessent, Dijs *Lectisternia*, & *Sellisternia* Deabus apparabantur. Omnium porro

porro lepidissimum fuit, belli tempore, cumque urbs obsideretur ab hostibus, Deorum Statuas, ne ad hostes transfrent, etiam catenis alligari solitos esse. Sic namque *Plutarchus* de Apolline:

Quæ-
stion. Ro-
manar. 60.

„ Aurea catena devinxere simulacrum ejus, aræque Herculis,
„ cujus Numini urbem dicaverant, inseruere vinculum, quasi
„ illo Deo Apollinem retenturi.

Quod si porro dii ad omnes preces, & Sacrificia, cultumque subinde surdi fuissent, indignata rabida plebs, conversa supplicatione in execrationem, non modo voce duntaxat in eos omne genus convitiarum exoneravit, verum etiam ædes quaslibet sacras lapidibus impetiit. Testis est *Suetonius*, inquit:

In Cali-
gula c. 5.

„ Eo die, quo functus est Germanicus, lapidata sunt Tempia; „ scilicet in ultionem, quod surdi dii, deprecante universo populo, Principum sibi tam charum, ac juvenem, emori permisissent. *PUBL.* Vah Populum sapientem! Quam operæ pretium erat, in ejusdem admirationem, etiam cum excisus jam esset, nihilominus orbem prope universum velut in regulam, normamque Prudentiæ, fuisse defixum, neque hac opinione vel hodie cessari!

TULL. Prudentia Regiminis non a plebe, sed a Senatu sapientum repetenda est; qui vero furenti populo, maxime sub ipsum tumultum, licentiam inhibere non valuit. Deinde gubernatio familiæ, reipublicæ, legumque, ac belli pacisque prudens cura, quæ humana sunt, ab opere religionis, quod sane divinum est, plurimum distant. Quantos videas, in rerum publicarum, etiam summarum administratione, in consecratione artium ac scientiarum, in dicendis causis, ducendis exercitiis, pacandis ampliandisque regnis, fere ad prodigium usque sapere; quorum tamen animus in religione ita fluctuat, segnis, ac habes est, ut, salva externa morum honestate, & nonnulla specie pietatis, cætera, quæ fidei & animæ sunt, æternæque salutis, non nisi postremis in curis, & hoc etiam ne vix quidem habeant? Verumtamen hæc mittamus, ad Numos jam conversi.

XI.

Quando Romæ novus Consul Calendis Januarii ad Capitolium processit, præibant eundem Clientes, Lictores cum fascibus, ac Senatus universus. Pari ordine & ego tecum iturus, Diis, atque deabus, quæcunque ad eos colendos, instituta

erant, Nummisque consignata occurrunt, præmittam, Sunt ea primum ornamenta & instrumenta sacerdotalia; ipsorum deinde Pontificum Collegia varia; tum genera Sacrificiorum, ac Ludorum Sacrorum; abinde Aræ ac Tempa. In quibus omnibus cum sapueris, chorum tandem Deorum Dearumque non minimo numero contueberis. Centum sex atque triginta Nummi, qui septem Tabulas opplent, prolixius nobis hic negotium dabunt. PUBL. Ultra spem in me liberalis es; & quandoquidem jam in his Dialogis Proœcialibus tam egregia mihi de religione veterum documenta & monita suggestisti, tanto uberius de futuris confido, & fore arbitror, ut religionis Augustæ cognitionem tua gratia non obiter penetrem.

DIALOGUS VII.

De Coronis, ac instrumentis variis,
& vasis Sacerdotalibus.

PUBLIUS.

I.
Lib. II.
c. 5.
De Nat.
Deor. L.
l. c. 37.
De Bene-
fic. Lib. IV.
F. 19.

STulte quidem *Plinius* dixit: „ Irridendum est, agere cu-
ram rerum humanarum illud, quidquid est summum.
„ Anne tam tristi, atque multiplici ministerio non pollui
„ credamus, dubitemusve? - - Imperia dira in ipsos (
„ Deos nempe) ne somno quidem quieto, irrogant. Non ma-
„ trimonia, non liberos, non denique quidquam aliud, nisi ju-
„ vantibus Sacris deligunt. „ Plane, ut *Epicurus* apud *Ciceronem*
ajebat: „ Quod beatum, & immortale est, nec habet, nec ex-
„ hibet cuiquam negotium. „ Quem & *Seneca* ita corripuit. „ Deos
(per te) nemo sanus timet. Furor est enim metuere Salu-
„ taria, nec quisquam amat, quod timet. Tu denique, *Epicu-*
„ re, Deum inermem facis: - - nulla illi nec tribuendi, nec
„ no-